

tibus aut occupatis diligenter impleret, abnuenti semper & coacto similis, ne ambitione potius quàm obsequio, aliena munia suscipere videretur. Literas enim scite atque expedite exarabat, dictabat eleganter, in omnique occasione œconomicarum rerum cuncta ad pietatem, ad decus, temperantiamque reuocabat: quibus maxime rebus ita appetente cardinalis ingenio certissima laus pararetur, honesta quidem sibi in primis ad promerendam ampliorem gratiam, & demum ipsi cardinali decora & utilis ad petitionem summi Pontificatus contendēti. In vnam enim eam curam amplissimos senatores haud dissimulanter incumbere, vti aulæ artium peritus facile intelligebat. His moribus iam abunde claro, & prospera vigenti fama, Leo Peregus Mediolanensis antistes in exilio apud Legnanum mortuus nunciatur. Hunc Martinus Turrianus tanquàm patronum ducemque nobilitatis vrbe pepulerat, quum ipse iam Populi causam aduersus Patricios suscepisset, perturbataque Republica statum popularem cæsis disiectisq. nobilibus induxisset. Oderat Octavianus Turrianos tanquàm nobilitatis hostes, Erat enim è vetusta & illustri apud Etruscos Vbaldinorum familia, & priuati quoque odii causæ intercedebant, parum quidem honestæ; sed ob id validiores. Nam ei Martinus paucis ante annis notam nefariæ cupiditatis inusserat, quum forte in Galliam iter habentem, hospitioque susceptum, in templo diui Ambrosii, ne carbunculum mirabili fulgore & rara magnitudine conspicuum è donariis auferret, armatus accurrens prohibuisset: Dicebat enim Cardinalis cupide inspiciendo tractandoque eam gemmam omnino dignam videri, quæ ad ornamentum sacrorum solennium, in summa Pontificis Maximi thiara conspiceretur. Hic est ille Vbaldinus præalto ambitiosoque ingenio, & magnis opibus potens Danthis Poëtæ carminibus, obliquo probro simul & laude celebratus. Itaque ad excidium Turrianæ domus, & ad condendum in Vicecomitum familia principatum, fatali euentu Otho Mediolanensium Archiepiscopus ab Octauiano declaratur, qui amplissima ad id potestate, iure munereque legationis fungebatur, Idque approbavit Vrbanus Pontifex vel ob id, quòd duos fœda diffensione Mediolanensium defuncto Leoni successos audiebat, Raimundum scilicet Turrianum Martini patruelis potentia, armisque potius quàm liberis suffragiis prouectum; & Franciscum Septariensem, quem virtutis commendatione Populus, Tribusque omnes in odium Martini veluti impotenter & superbè dominantis extulerant. Fauebat Othoni Vrbanus, vt maiestatis Pontificiæ iura tueretur. Itaque eum rite consecratum insignitumque mitra & lituo pastoralis, ad sacerdotii munus obeundum in Cisalpinam Galliam dimittit, eo etiam cupidius quod Turrianis infensus erat, nam forte per id tempus magno Othonis commodo Vbertus Pallauicinus Turrianarum copiarum dux, Placentinorum